

Pandenda est ratio, veterique ignota Quirino.
 Dandus mobilibus decor est immobilis: atque 140
 Ad nova non facilis mihi traducenda vetustas,
 Quae senibus similis praefracte temporis acti
 Jura tuetur amans, paretque recentibus aegre.
 Tentandum tamen est: laus in tentamine multa.
 Ergo color prisco Latii sermonis ab auro 145
 Ducetur, Flaccus quo Virgiliusque poetae
 Duxerunt Grajas Romana ad carmina Musas,
 Aurea quoque cohors scriptorum cetera lusit.
 Sed mihi praecipue Charitum laetabile numen
 Orandum, multo Charisin mihi ture litandum, 150
 Et nudis solida est Charisin ducenda hecatombe.
 Vos igitur, Divae, solae quia nempe potestis,
 Ducite, si mereor, facilem in mea carmina Momum.
 Vobiscum Veneres aderunt, aderuntque lepores,
 Urbanique sales, festivi gratia risus, 155
 Mundaque simplicitas, nudi et reverentia cultus.
 Vestri fiet opus sic immortale Poetae.
 Quod si non olli de vestro spiritus ore
 Caelestisque vigor vestro continget ab igni,
 Heu! quae mille modis indigna feremus inulti! 160
 Vapparum risus, nebulonum opprobria, scurras....
 Queis scelus auriculas est incestare Dearum.